Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1181
Quelle:
Copyright:

excerpsi. Hancque quadriformem huius uoluminis intexui coronulam &c. Libros videlicet IV. In altera quasi Praefatione Fontes suos enumerat; dicta nempe *Cypriani, Gregorii Nazanzeni, Ambrosii, Johannis Chrys. Basilii Caesar. Fructuosi terraconensis, Innocentii, Leonis, Coelestini, Symmachi, Gelasii, Gregorii* Pontiff. *Augustini, Aurelii Carthag. Isidori Hispal. Prosperi, Hieronymi, Cassiani, Bedae, Ferrioli martyr. Columbani, Maximi Taurin. Caesarii Arelat. Effrem diac. aliorumque doctorum.* Non contemnenda sane Supellex, et paullo tamen ante haec queritur, Codices quosdam, ubi aliquando ad hoc opus pertinentia reperit testimonia, sibi nunc defuisse. Lapsum interim censeo in *Fructuoso*, quem *Braccarensem* scribere debebat pro *Tarraconensi*. Nihil Martyr hic Sec. III. quem *Hymno* celebravit *Prudentius*, Operum reliquit; bene vero ille, cujus *Regula Monastica* extat in *Cod. Regul. Holstenii* P. II. Lapsum item in *Ferreolo*, quem *Martyrem* adpellat; quamvis enim plures *Ferreolos Martyres* censeat Ecclesia, sermonem tamen hic esse de *Ferreolo* Ep. *Ucetiense*, qui Sec. VI. pariter *Regulam Monast.* in *Holstenii Cod. cit.* editam scripsit, manifestum est. Hactenus indicata jam excipit tertia Praefatio inscripta: *In nomine dei sanctorum. Incipit prefacio operis subsequentis.* Atque hic IV. Librorum suorum Οἰκονομιαν exponit: *Primus denique de uita et predicatione. ac discretione. nec non et sollicitudine sacerdotis enarrando breuitatis studio percurrit.* Capp. 19. *Secundus de modis penitentię. leuioribusque delictis ac satisfactione eorum.* Capp. 55. *Tercius de mortalibus peccatis eorumque penitencia ac satisfactione. Nec non et de octo principalium uiciorum origine. et uexatione. ac curatione eorum eloquitur.* Capp. 81. *Quartus de diuersis peccatis ac criminibus eorumque iudiciis ac satisfactionibus ex sacrorum canonum orthodoxorumque patrum institutis terminatur.* Capp. 382. Horum *Elenchus* quemvis *Librum* praecedit una cum *Praefatiuncula*, e qua tamen ad Autoris vel Operis historiam discas nihil, nisi, quod ante L. 3. *studiosissimum Patrem*, ante L. 4. *carissimum Rectorem* aliquem adpellet. Libri III. priores tantum Sententiis PP. constant, Parte eorum Ascetica e *Cassiano* maxime depromta. In L. IV. Epistolae Pontificum, et Conciliorum Decreta regnant. Fontes in marginibus aut ipsis titulis Capp. citantur; in Conciliis tamen non additur numerus, sed simpliciter legis: *Conc. Nic. Affr. Tolet. Arel.* &c. Ultimus est Canon: *De ecclesie mortuis. Ex concilio cartaginensi. Mortuos ecclesię penitentes ferant et sepeliant.* Post hunc redit ad Ἐγχειρίδιωκτην suum Autor: *Ecce hęc sunt pauca ex multis sanctarum scripturarum edictis deo fauente succintim breuiterque excerpta — obsecro beatitudinem uestram ut mercedem orationum uestrarum mi-*

bi